

B. M. H. 117. 464, 22 (X1883898)
h. 26, 22.

II n
1374

2. D. B. V.

DE

POTENTIA

S. R. IMPERII

GERMANICI,

Academia Lipsiensi,

PRÆSIDE

DN. L. A. RECHENBERG, P.P.

& h. t.

COLLEGII PHILOSOPHICI

PRO-CANCELLARIO,

xv. Jan. A. CHR. MDCXCVIII.

*publice discernere
instituit*

HENRICUS SIGISMUNDUS

Eques Misnicus.

12.

LIPSIAE,

Literis BRANDENBURGERIANIS.



Handwritten signature or name

41



VIRIS ac DOMINIS;

Generosa profapia, dignitate ac
munerum amplitudine

Perillustribus atqve Excellentissimis;

DOMINO

AUGUSTO
FERDINANDO
PFLUG,

Dynastæ in Cottewitz,
S. R. Imperii, nec non reve-
rendiss. Ordinis Johannita-
rum Equiti, S. R. Majest. Po-
lon. & Sereniss. Elect. Saxon.
Consiliario Intimo, Supre-
moqve Camerario;

DOMINO

GEORGIO

de WERTHER,
Dynastæ Comitatus
Beichlingensis, nec non
Frondorff, Neuheiligen,
Leubingen & Kroppen,
S. R. Imperii Cubiculario
hæreditario, S. R. Majest. Po-
lon. & Seren. El. Sax. Comiti,
ac in Comitibus Imperii h. t.
Legato Excellentissimo



ET
DOMINO
DAMIANO
PFLUG,
DYNASTÆ

^{IL}
STREHLA & LOESNIG;

Gentis nostræ Pflugiaë

VENERANDO SENIORI,

DOMINIS ac PATRONIS
SUIS

Agnationis & cognationis
vinculo sibi junctis,

summaque animi observantiã
colendis,

*Has Chartas Academicas sacras
esse cupit*

HENRICUS SIGISMUNDUS PFLUG;

Viro Juveni

DN. HENRICO SIGISMUNDO PFLUG,
Generoso

S. O. D.

ADAMUS RECHENBERG,

E A sunt gentis Tuae generosissima decora, ut seu toga, seu sagi artes respiciam, illa cum paucis in Misnia nostra, eminentibus familiis comparari queat. Nam historia a longa annorum serie, testis est, PFLUGIOS & literarum & armorum gloria eminuisse, consiliorumque dexteritate ac prudentia, cum Romanis Imperatoribus, tum Electoribus ac Ducibus Saxoniae inclutis, operam suam egregiam, multis modis adprobasse, magnamque inde gloriam apud posteros etiam, consecutos esse. Si ergo, quod Plinius Junior sensit, apud sapientes, honestissimum est, majorum vestigia sequi, ubi recto itinere praecesserunt; Tibi HENRICE SIGISMUNDE, ob oculos ex gente Tuae iucluta, ponas SIGISMUNDOS, DAMIANOS, NICOLAOS, OTTONES, ANDREAS, JULIOS, JOHANNES, BERNHARDOS PFLUGIOS, qui omnes in historia, ob exquisitam eruditionem, prudentiam & merita in patriam celebrantur. Hi lumen Tibi praetulere. Hos emulari convenit, ut posteris itidem aliquando praeferas. Nosti enim illud Poetae:


- - - perit omnis in illo

Nobilitas, cujus laus est in origine sola.

Unde Plinius jam laudatus Spirinnam olim laudavit, quod bonis artibus faveret, multumque gaudii caperet, si Nobiles Juvenes aliquid majoribus suis dignum faciant. Scis, & hodie esse, quamvis paucos, qui itidem gaudent, si Tui ordinis Juvenes in bonis literis eniti videant. Hi stimuli Te, Mi PFLUGI, pro bonitate indolis Tuae, incitare debent, ut iter, quod ingressus es, virtutis, strenue persequaris, nec gentis Tuae illustris decora propriis factis illustrare intermittas. Ego DEUM veneror, ut caeptis jam Tuis laudabilibus gratiam adspiret suam, Teque in decus familiae, ac generosissimi Patris Tui solatium, servet florentem!

Deproper. Lipsiae 1x.

Jan. M, DC, XCVIII.



B. C. D.

De

Potentia Imperii R. Germanici,

DISSERTATIO ACADEMICA.

INDEX RERUM.

1. *Duo prænôtanda*, in tractatione hujus argumenti, *definitio potentia civilis*, & *distinctio temporum statûs Germanici*.
2. *Potentia civilis definitio*, ex Cicerone adducitur.
3. *Potentia hujus partes & præsidia*, in INTERNA & EXTERNA distingvuntur, & generatim simul declarantur.
4. Ad INTERNA præsidia referuntur, partim *hominum varii generis atqve ordinis copia*, qui nominantur:
5. Partim *virium civilium sufficientia*, quæ tum ex regionum & urbium robore, tum vi pecunie æstimatur: ubi tres regionis validæ, qualitates, *amplitudo, fertilitas & situs* notantur.
6. De *situ regionis ad potentiam valido*.
7. De *urbibus, earumqve momento ad potentiam civitatis*.

8. Item de *munimentis, & propugnaculis*:
9. De *necessario armorum adparatu*.
10. Inde porro *vis pecunie*, ad potentiam necessariæ declaratur.
11. Ad EXTERNA potentia PRÆSIDIA, pertinent *societates & sedena*.
12. Partium & præsidiorum potentia hic recensitarum copia, requirit *prudentem moderationem*.
13. *Thesis*, de potentia civili, ad *hypothesein* transfertur, h. e. potentia partes generatim memoratæ, in Imperio R. Germanice nunc distinctim demonstranda veniunt.
14. Ubi Imperii Germanici *intervalla temporum*, à Caroli M. ævo, ad Caroli V. Imperat. ætatem, cum *diversis potentia Germanicæ fati* recensentur.

A

15. Mis-

15. *Missis antiquis temporibus, progressus fit ad potentiam Germanie modernam declarandam.*
16. *De virorum illustrium & imprimis Nobilium Germaniae copia, praestantia ac fortitudine.*
17. *De civium literatorum copia in Germania.*
18. *Clericorum Romanensium abundantia Germaniae noxia.*
19. *Civium illiteratorum, ut mercatorum, opificum & rusticorum in Germania copia: ubi primum de mercatoribus agitur.*
20. *Opificum studia & opera.*
21. *Ruricularum numerus.*
22. *Region. German. amplitudo.*
23. *Earum fertilitas & metallorum subertas.*
24. *Antiqua & horrida Germaniae facies mutata.*
25. *Urbium Germaniae origo & usus.*
26. *Quae ex his, Germaniae claustra vocantur.*
27. *Vis pecuniae, in Germania olim magnam partem e metal-
lifodinis.*
28. *Opus nativae Germaniae variae.*
29. *Tributorum nomina, in Germania luxus increscens auxit.*
30. *Scrupulus Germaniae circa vim pecuniae movetur.*
31. *Certis rationibus discutitur.*
32. *Potentia maritima Germaniae deest.*
33. *Externa Germaniae praesidia ex foederibus, an necessaria.*
34. *Praesidia potentiae in Germania partitim jam recensita, conjunctim sumta potentiam ejus, singula Europae regna praeponderare, probant.*
35. *Potentia Germaniae comparative in respectu ad vicinas respublicas considerata.*
36. *Gallici regni potentia, cur hanc praeponderare videatur.*
37. *Cause variae adducuntur, ob quas, potentiae Germanicae usus impediatur.*
38. *Cur Germani potentia sua, non, ut Romani olim, ad alterius bona obtinenda, vel sua vindicanda utantur.*
39. *De Usu potentiae Germanicae plura dicere, aliis relinquitur.*
40. *Dissertatio finitur cum voto.*

Poten-



Potentiam Imperii R. Germanici,
more in Academiis usitato, contemplaturus, duo
ex historia & civilis prudentiæ præceptis, præno-
tanda ac præstruenda esse censeo. *Unum* est po-
tentia civilis definitio, *alterum* distinctio tempo-
rum, quibus Imperium R. Germanicum, per certa
intervalla, vel auctum, vel imminutum; ac adeo potentia simul ejus
vicissitudini rerum obnoxia, incrementa ac decrementsa cepit
sua.

§. 2.

Quod potentiam igitur civilem attinet, illa definiente *Cicero-
ne l. II. de Inventione n. 169* est, ad sua conservanda & alterius obti-
nenda idonearum rerum facultas. Nam is ad utilitatem publicam
respiciens, in ampla civitate duas partes, *incolumitatem & potentiam*
requirit; quarum illa, est *salutis tuta atque integra conservatio*, quam
absque potentia præsidii constare non posse, quivis facile intel-
ligit.

§. 3.

Hic vero potentia civilis præsidia generatim ante exponen-
da veniunt, quam ad *hypothesein*, illa transferamus, id est, in *Imperio*
Germanico eadem reperiri, demonstremus. Quæ partitim conside-
rata, aut *domestica* sive *interna* sunt, ac in ipsa civitate existunt; aut
externa, ab aliis nempe civitatibus, propter societatis vinculum expe-
ctanda. Ad illa spectant *virorum, viriumque civilium* insignis co-
pia atque robur: Ad hæc, fœdera & societates, quæ cum exteris re-
bus publicis, utilitatis atque potentia stabilien-
dæ causa, iniri solent.

§. 4.

Virorum in civitate *copia*, ex multitudine hominum ac civi-
um varii generis æstimatur. Nam si civitas integra, tuta atque
beata censi debet, multis & pacis & belli tempore, opus est viris;
tum qui agros colant & rem pecuariam curent; *tum* qui artes me-
chanicas vitæ necessarias exercent, aut novas inveniant, *tum* qui
res vitæ necessarias importent, aut abundantes exportent, *tum* qui
munia civitatis varia obeant, *tum* denique qui hostes ingruentes arce-

ant, atque civitatem adversus illos defendant. Qui distinctis ac no-
vis vulgo vocabulis appellantur agricolæ, opifices, mercatores, magi-
stratus, officiales, ministri reipublicæ varii ordinis, ad quos & mili-
tes spectant. Hæc in civitate hominum multitudo, ordine certo ci-
vilique dispensatione describenda est; ut ad regendum habilis sit, at-
que nexu in publicum utili cohæreat. Quod Servius Tullius apud
Romanos probe intellexit; quando censum instituit, id est, populum
per discrimina patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorum de-
scripsit, retulit in censum, digessit in classes, curiis atque collegiis
distribuit, apud *Florum l. 1. c. 6.* Quod institutum saluberrimum ma-
gno futuro imperio, *Livius* prædicat. confer *Boxhornii de Imp. Rom.*
dissert. VI. S. 6.

§. 5.

Virium deinde in civitate copia, quæ post hominum multitudi-
nem rite ordinatam, potentiam maxime firmat civilem, *partim* in re-
gionum, urbium & munimentorum robore, ex variis partibus colli-
gendo, *partim* in magna vi pecuniæ consistit. Quod regiones & ur-
bes attinet, de his, quid momenti ad reipublicæ potentiam confe-
rant, distinctim prænuntiandum venit. Nempe in regionibus *tria*
spectari possunt, *amplitudo, fertilitas ac situs.* Amplitudo sola, si
regio, cætera sterilis, aut minus industria hominum sit exulta, parum
ad potentiam civitatis confert. Nota sunt Scytharum apud antiquos,
& hodie Lapponum amplissima terrarum spatia; sed inculta, ac a-
deo ad potentiam usum invalida. Non modica pars amplitudinis, co-
hærentia, & habili non terminorum modo, sed interjecti corporis
compage constat. Hac ratione ducuntur, qui Gallici regni potenti-
am, Hispanicis opibus præhabere non dubitant: quod ibi com-
plexu rerum, virtus imperii expeditior; hic dissita ac pæne dispersa,
omnia tardiore molimine moveantur. vid. *Bæcleri dissert. VII. de Pot.*
civitat. p. 351. Fertilitatem autem, quæ ex soli fecunditate & proven-
tuum copia, aut etiam mineralium ac metallorum ubertate æstimatur,
magis potentiam juvare in propatulo est. Quamquam interdum, si si-
tus faveat, sterilitas locorum parandæ copię rerum incitamento esse
soleat: ut Atheniensium & Batavorum hodie exemplo patet. Fer-
tilis enim terra alit agricolas, sterilis civem cogit opere manuario,
aut mercibus aliunde vehendis victum quærere; & si maris accola
sit

fit populus, mereaturam exercere potest. Inde *Jos. Scaliger* inter miracula Batavorum, rerum copiam, quæ ex situs commoditate paratur, carmine eleganti ad *Doufam* scripto, retulit:

*Ignorata tua referam miracula terra,
Doufa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanicium hic lassat textum Minerva:
Lanigeros tamen huic scimus abesse greges.
Non capiunt operas fabriles, oppida vestra;
Nulla fabris tamen hæc ligna ministrat humus.
Horrea triticea rumpunt hic frugis acervic:
Pascuus hic tamen est non cerealis ager:
Hic numerosa meri stipantur dolia cellis:
Quæ vineta colat, nulla putator habet.
Hic nulla aut certe seges est rarissima lini:
Lanificæ tamen est copia major ubi?
Hic mediis habitamus aquis: quis credere possit?
Et tamen hic nulla, Doufa, bibuntur aqua.*

§. 6.

Situs igitur regionis, potentia augendæ ac defendendæ multum conducit. Nam flumina & maria, præsertim post excultam, artem nauticam, commeandi & communicandi facultatem maritimis gentibus, ad res invehendas & devehendas præbent, conferunt. *Claudii Marisforti Orbem Maritimum, & Bœclerum l. c.* Limites quoque ac fines regionum, si illos natura montibus, fluminibus aut maribus munivit, potentia præsidia esse, quis dubitet? Sed divinæ hoc providentiæ munus est, qui terminos habitationis populis definit, ut *Apostolus Act. XVII, 26.* prædicat. Tyri olim potentia, in Asia hoc nomine celebris fuit, cujus amplitudinem *Curtius l. IV. c. 4.* describit. Et quis hodie nescit, situs commoditate ac fluminum copia, Gallia potentiam ad invidiam usque crevisse?

§. 7.

De urbium numero & amplitudine, quæ in regionibus excultis exstructæ fuerunt, distinctæ quæstiones sunt; quando de potentia momento, ex illis ad rempublicam redundante dicendum est. In re-

gionibus, quæ navigationi & commerciis exercendis, ob situm, sunt idoneæ, urbium multitudo opifices & mercatores allicit pluresque alit; adeoque robur civitati addit. Quod iterum Belgicarum urbium numero constare potest. Secus vero fit, ubi opportunitas loci mercaturam exercendi provinciæ desit. Urbium vero amplitudinem atque exornationem, magis ad splendorem civitatis, quam ad ejus incolumitatem facere, Cicero summus politicus l.ii. de Invent. n. 168. jam docuit. *Utilitas autem, inquit, aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus: quarum rerum multo maxima pars ad corporis commoda revertitur, ut in republica quædam sunt, quæ (ut sic dicam) ad corpus pertinent civitatis, ut agri, portus, pecunia, classes, nautæ, milites, socii; quibus rebus incolumitatem ac libertatem retinent civitates: alia vero, quæ jam magis amplum & minus necessarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio atque amplitudo.* &c. Hanc ob causam Elisabetha Angliæ regina, anno superioris seculi octogesimo, cum videret Londinum nimis excrescere, depletis digressu huc confluentium Angliæ urbibus, lege lata vetuit, nova ad habitandum ædificia, intra tertium à portis milliare surgere; aut in ipsa urbe singulas domos à pluribus, quam singulis familiis habitari, apud Thuanum l. LXX. & Gramondus Hist. Gall. l. ii. p. 127. ex magnitudine Lutetiæ Parisiorum nimia, Galliæ periculum ominatur: *Nemini, ait, ignotum est Europæarum urbium Lutetiam esse facile principem: non alia nomine major, non ambitu, seu populus, seu urbem componunt immensa spatia regis ædificiis distincta, crescit & augetur indies plus æquo urbs impatiens sui, adeo ut periculum sit, ne mole ruat sua, aut in ruinam agat aliquando, quam spoliat, Galliam.* Hispani hac de causa Mediolano, Neapoli & Antwerpia castella imposuere, ut his velut frænis injectis, istæ amplissimæ urbes in obsequio continerentur.

§. 8.

Ad vires potentia civitatis tutandas & conservandas spectant munimenta & propugnacula, quæ in finibus ac regnorum limitibus Galli & Turcæ imprimis habere amant, ut hostes imminentes ab ingressu arcere queant. Poloni fere negligunt, partim quod libertatis amore, ista velut sedes dominationis Regibus futuras metuant, partim quod dicant, se duo habere propugnacula adversus hostem, pectus suum

suum in acie, & tergum summi, cum retro cedendum, & hosti solitu-
do facienda est. v. *Bæcler. Disfert. de Potent. Civit. p. 369.* Olim Spa-
rtanos similem fortitudinem jactasse civesque pro moenibus habui-
fle, ex Agisilai (vel Themistoelis) responso notum est; progressu
tamen temporis, à Pyrrho, bello petiti, ad munitionum confuge-
runt præsidia, teste *Aristotele l. VII. Polit. c. 11.* confer *Berneggeri
Quest. in Tacit. de Mor. Germ. c. 16. qu. 82.* unde Machiavelli *lib.
de Principe c. X.* sententiam, arces & munimenta circa regionis fines
haberi omnino non debere, *Conringius in Animadvers. ad istum locum*
merito rejecit.

§. 9.

Urbes autem munimenta & arces, non sine armis defenduntur.
Hinc varii generis *arma*, magnumque eorum adparatum, ad tutelam
civitatis amplæ requiri, in aprico est. Milites enim armis instructos
esse oportet, quæ in armamentariis civitatis colliguntur & asservan-
tur. Quorum, ut materia suppetat, ac peritos artifices eaque tra-
ctandi artis magistros habeat civitas, ejusdem incolumitatis inter-
est; cum in pace etiam de bello cogitandum sit. Quanta armorum
apud Romanos olim cura fuit, *Lipsius de Militia Roman. l. III.* expo-
nit.

§. 10.

Maxime viribus tandem civitas pollere censetur, cum *magna
pecunia* vis in promptu est. Pecunia enim instrumentum est, quo
multa potentia præsidia alia comparari possunt. Unde nervus rerum
gerendarum vere audit; quippe sine quo, nec pacis negotia, nec bella
geri possunt. *Τὰ πολλὰ τῆς πόλεως γνῶμη καὶ χημάτων πρὸς-
οἴα κρατεῖται,* *Thucydides l. II.* ait, id est, *pleraque belli negotia confici
consilio & vi pecuniarum.* confer *Lipsii Polit. l. V. c. 6.* & *Bernegger.
Quest. in Tacit. Agric. qu. CCVIII.* Modi autem pecuniam colligendi
aut acqvirendi, a Politicis multi traduntur, qui pro rerumpublicarum
statu variant. valet tamen hic semper illud Poëtæ:

Unde habeas nemo querit, sed oportet habere.

§. II.

Externa præsidia, quæ ad potentiam faciunt, in foederi-
bus & societatibus, cum vicinis vel exteris rebuspublicis iniis con-
sistunt,

sistunt, ac potentiae tuendae causa saepius contrahuntur. Infimi generis est foedus clientelare: quo se una civitas alteri dat in clientelam, vel ut incolumitatem suam aliena ope tueatur, quod frequentius est; vel ut potens videatur sociorum robore. Hujusmodi vero patrocinia suspecta vel periculosa esse, *Bœclerus dissert. citat. p. 370. sequ. demonstrat.* Veri autem foederis ratio, communis utilitatis vinculo, potentiae plerumque accommodari solet.

§. 12.

Omnia haec potentiae civilis praesidia interna ac externa jam commemorata, imperantium prudentia ac divino imprimis auspicio non parantur tantum, sed ordinantur & conservantur. Vis enim consilii expers, mole ruit sua. Horum igitur usum si respicis, magnum etiam momentum habet civitatis forma; regularis, an irregularis fit? inde enim administratio virium reipublicae dependet. Nam si summum imperium in uno subjecto ita est unitum, ut illud indivisum & inconvulsam ab una voluntate per omnes civitatis partes atque negotia sese dispenset, utique ad res magnas gerendas, nihil aptius est. Quia, si unus rerum moderator est, quique non suspensam aliunde vim imperii & potentiae habet, illam in praesentaneos usus facile expedire potest. Secus autem fit, ubi partes summi imperii inter plures velut dispersae sunt, ac adeo temporibus & locis conditis ad deliberandum & decernendum opus sit.

§. 13.

Sed his de potentiae civilis partibus, quae, ut rhaetores loquuntur, *ad thesin* pertinent, generatim expositis; ad *hypothesein* progrediemur, visuri, an partes haec atque praesidia civilis potentiae communia, in IMPERIO R. GERMANICO deprehendantur. Quod, ut adpareat, secundum tempora & eorum intervalla, Germanici regni potentia consideranda prius venit, quam de ea, qua hodie pollet, plura edisseramus.

§. 14.

Caroli M. aevi, qui Germaniam in plures ante civitates divisam, in formam regni primum redegit, potentiam ejus omnibus regnis formidabilem fuisse redditam, satis constat. Ea vero inter extimalia bella, quibus Caroli posterius inter sese collidebantur, decrevit:
Donc

Donec *Heinricus I.* cognomento *Auceps*, decimo currente seculo, illam iterum stabilivisset, ac multis etiam praesidiis munivisset. *Ottonus* Imperatores, qui a patre, avo & proavo imperium acceperant, acceptam simul gloriam & potentiam, ad majorem amplitudinem provehere laborarunt. Imprimis *Otto I.* a fortuna & rebus gestis, *Magnus* appellatus, hac in parte excelluit; quod regnum Italiae & imperium urbis Romae, ita Germaniae regno conjunxit, ut cum eodem in successores perpetuo jure propagaretur. Quod *Conringius*, de *Finibus Imp. German.* c. IX. & X. & de *Imper. Germanorum Romano*, erudite probavit. Post Ottonum tempora, ob turbas partim internas a potentioribus Germaniae principibus motas, partim ab Episcopo Romano excitatas, potentiae Germaniae decrementa, ab historicis passim annotantur. Causa illorum praecipua fuit Hildebrandi seu Gregorii VII. Papae Romani ambitio: qui seculo undecimo, cum *Heinricum IV.* Imperatorem excommunicasset, edictum promulgaverat; ne vel Episcopos, vel alios clericos Imperator constitueret. Cujus tyrannidi cum *Heinricus* diu mascule restitisset, ipse non tantum imperio exutus fuit; sed filius ejusdem *Heinricus V.* qui non minore, quam pater, studio, majestatem regiam tutari instituerat, jus tandem investitorum episcoporum Germaniae, Pontifici R. in comitiis Wormatiensibus, anno MCXXII. cedere coactus fuit. Quo facto, & imperatoria majestas imminuta, & potentia Germaniae distracta atque infracta est maxime. Et frustra fuerunt *Fridericus I.* & *Fridericus II.* Imperatores generosissimi, qui reluctantibus R. Pontificibus, veterem potestatem recuperare & robur Germaniae firmare annisi sunt. Quanta postea, *Friderico II.* extincto, & Interregno in Germania, diuturno enato, mala Germaniam affligerint, ejusque vires attriverint, scriptores illorum temporum, vix verbis sat idoneis exprimere valent. *Rudolphus* quidem *Habsburgicus*, electus anno MCCLXXII. Imperator, quodammodo rem Germanicam vehementer convulsam recreare & componere laboravit: Sed multa obstiterent, quo minus haec destinata perficeret. Unde ipse Imperatoriae dignitatis beneficio, modicas familiae suae opes augere, & Italiae civitatibus immunitatem vendere non dubitavit. Ex eo tempore, vires Germaniae partim quorundam Imperatorum socordia aut negligentia, partim Principum ac Ordinum Germaniae discordia, magis adhuc debilitatae

litata fuerunt. confer exquisitæ prudentiæ viri, *Julii Pflugii, Episcopi Numburgensis libellum de Republ. Germaniæ, & Lehmanni Chronic. l. V. c. 95. p. m. 611.* Nec *Maximilianus I.* nec *Carolus V.* Imperatores, multis, qui ante ipsos imperio præfuerant, anteferendi principes, prudentia & potentia sua, Germaniæ vires vel tutari satis, vel augere valuerunt. Quin potius plures ab Imperio provincias, illis imperantibus, avulsas ac derelictas fuisse, constat. De quibus insignis *Conringii liber de finibus Imperii Germanici, & Bœcleri Notitia S. R. Imper. l. II.* evolvi merentur.

§. 15.

Non igitur hic potentiam Germanici Imperii descripturus, ad antiquiora ejus tempora respiciam; sed quales postea & nunc Germaniæ vires sint, ex §. 2. & 3. supra designatis potentia partibus ac præfidiis, pro ingenii mei mediocritate differere pergam.

§. 16.

Ac primum quod viros, seu hominum in Germania copiam attinet, tanta illa omnis generis est, quanta nulla in a'io per orbem regno major. Non dicam de Principum Germaniæ familiarum illustrium numero & splendore; quippe ex quibus tot Imperatores ac Reges Europæ ortum suum trahunt; cum illæ per se magis ad splendorem, quam potentiam Imperii facere videantur; Sed de civium ordinibus & copia, quibus nulli genti cedit Germania memorabo. Primariæ nobilitatis, ad quam Comites, Barones & Liberos Imperii Nobiles (*die freye Reichs Ritterschafft*) referimus, tanta multitudo, tantusque splendor, quantus nullibi in regnis major est. Inferior nobilitas etsi numerosa; non tamen supra laxitatem regionis est, nec præ nimia turba ad sordidas artes descendere cogitur. Qui dignitatem generis, domi sustinere nesciunt, cum forte pace & otio patria fruatur, ultro eas nationes petunt, quæ tum bella gerunt, ut fortitudinem excolant atque inter ancipitia clarescant, ut *C. Tacitus* de veterum Germanorum nobilibus adolescentibus, *P. de Mor. Germ. c. 14.* memorat. *Berneggerus* quidem in locum illum *Tacit. quest. 73.* id studium belli mercenarii, Nobilibus Germanicis vitio vertit. Sed si mores & statum Nobilitatis Germanicæ attendimus, illi

illi id exprobrari nequit. Cum enim artes mechanicas & mercaturam exercere, ipsis turpe habeatur, nec literarum studiis tractandis vel ingenium, vel occasio omnibus suppetat; quas artes alias vitæ potius, quam quibus nobilitas primum parta est, sectentur & colant? Sane belli artibus apud exteros excultis, etiam patriæ inservire suæ eamque tueri possunt; cum nobiles in pace decus, in bello præsidium esse debeant.

§. 17.

Post nobilium in Germania ordinem, cives ejus in *litteratos*, & *il-literatos* distingvemus, quorum copia & multitudo, si regionum amplitudinem & numerum animo reputamus, omnino maxima est. *Litteratorum* quidem majorem, quam expediebat, in Germania copiam esse, *Monzambanus de Statu Imp. Germanici c. VII.* statuit, & ante ipsum *Barclajus Icon. Animorum c. V.* Germanos hac de causa sugillavit: *Literæ in multis ait locis cultæ inter homines minus sciendi avidos quam docendi: Plura quam legerint, scribunt: Et suam famam ex voluminum, quæ edunt, numero aut magnitudine æstimant.* Hujus mali fontem inter alios detexit, *illustris Dn. Kulpisius parte alt. comment. in Monzambanum p. 255.* quod præcipue ad studia nunc absque ulla ingeniorum discretionem quivis promiscue admittatur, quorum potissima pars neque indole, qualis hic requiritur, gaudeat, nec patiens sit laborum, quibus soli hæc sua bona (ut Hesiodus loquitur) dii vendunt. Dominatur præterea plus justo favor, ut ad publica munia admoveantur, non qui comparata sibi rerum peritia meruerint, sed quos vel parentum conditio, aut diva Juno inglorios penitus relinquere detrectat, nonnullos etiam aureus imber, vel illaudatæ artis opera, per occultas semitas eo ingerit, quo pervenire regia via nunquam potuissent. Quod quidem efficit, ut non solum propudiis ejusmodi officia publica prostituantur, ac irreparabile damnum sentiant; sed ingenia etiam elegantiora defervescant. In quam rem *B. Seckendorffius de Statu Princip. Germ. (von Teutschen Fürsten Staat) part. 2. c. 14.* queritur, & consilia suggerit. Quæ utinam ab omnibus, qui scholis præsunt, aut earum curam gerere in aulis debent, attenderentur. *Gramondus Scholarum multitudinem hac de causa noxiam rei literariæ & publicæ esse, Hist. Gall. l. III.*

pag. 189. seqv. probat. Interim tamen non est, cur Barclaji dicacitatem adprobemus; cum cacoëthes scribendi non minus alias gentes, quam Germanos vexet. Sane inter Germanos multi numerari possunt, qui ingenio & mentis acumine exteris non cedunt. Quod ingeniorum monumenta probant ab exteris etiam viris cordatis laudata. Si clara & excitata ingenia in Germania foverentur, palmam multis Thraſoni- bus exterorum dubiam redderent.

§. 18.

Ad *litteratos* referuntur *Colerici*, qui sacris vacant. Quod genus hominum in Germania maxime ante Lutheri reformationem abundavit. Nam ille ordo clericorum tum liberalitate Imperatorum ac principum, tum devotione privatorum tantis opibus cumulatus fuerat, ut saltem dimidia, si non major pars Germaniæ ad ipsos spectarit. Ineat quis numerum Episcopatum, Abbatiarum, Capitulorum & monasteriorum in Germania conditorum, & quod diximus, vero congruere, deprehendet. Istorum autem bonorum fructus, non tantum qui sacerdotum titulo ornantur, devorarunt; sed immensa multitudo monachorum religionis speciem otio suo obducentium, & nihil ad verum cultum Numinis conferentium, fruges consumserunt otiose. Quam vero onerosum hoc Imperio Germanico fuerit, testantur S. R. Imp. Principum ac Procerum Germaniæ Gravamina Centum, quæ adversus Sedem Rom. ac totum ecclesiasticum ordinem, Oratori Pontificæ Sanctitatis, in Comitibus Norimberg. a. 1522. seqv. proposita. v. Icti doctissimi Schilteri de Libert. Eccles. l. VII. c. 2. §. 10. & Conring. de Constitut. Episc. German. dissertat.

§. 19.

Sed pergamus ad *illiteratos cives*, ad quos referuntur mercatores, opifices & ruricolæ. Mercatorum numerus quidem tantus non est in Germania, quantum in Gallia, Anglia aut Belgio: cum pauciores Germaniæ urbes opportunitate marium aut fluminum gaudeant, unde advehi & devehi ita commode merces queant. Taceo, quod Germania, ut illæ gentes, nullas exterarum regiones, cum quibus exerce-re queat commercia, possideat. Illis enim exercendis urbes tantum opportuna sunt, quæ mari Baltico alluuntur, aut fluminibus navi-
gabi-

gabilibus, ut Danubio, Rheno, Albi, Visurgi & Oderæ adsitæ sunt. Quamquam in his vectigalium importunitas, multis gravis etiam aut acerba videtur: Terrestri autem merces, via transvehere, parum lucrosam habetur.

§. 20. *Opificum*, ob urbium & oppidorum in Germania multitudinem, major numerus est. Et cum metallorum ac mineralium, nec non lanæ liniqve copia in Germania abundet, mechanici atqve opifices, ex his, ad usum vitæ, instrumentis parandis, operam infumere maxime, & illa etiam exteris communicare student. Ac ut in ferrariis & aeneis instrumentis variis fabricandis, Germani externos superant; ita in pannis & telis lineis conficiendis, subtilitatem exterorum hactenus æquare non valuerunt. Quod artes manuaras forte non ita excoluerint, ut Galli: qui pannorum & telarum genera subinde callide variare, eoqve levidensibus telis pretium augere solent; cum Germani à modo operum semel recepto, non facile discedere consueverint; nec sibi potius quid putent faciendum: quia à majoribus suis id fuit ignoratum v. *Monzamb. l. c. §. 2.* Postquam tamen multi opifices non ita pridem, ob diversorum sacrorum professionem, ex Gallia ejecti, in Germania confedere; illæ artes nunc etiam in quibusdam Germania locis frequentari cœperunt. Cæterum, an consilio Monzambani, quod de *Statu Imp. Germ. c. VII. §. 2.* de modo tractandi serici suggerit, locus esse queat, harum periti rerum judicent.

§. 21. *Ruricularum* copiam alicubi hodie minorem, quam pro latitudine agrorum, esse in Germania, *Monzambanus l. c.* arbitratur. Cujus rei causam reddit duplicem, unam, quod bello tricennali Germania misere fuisset vastata; alteram, quod rustici eo sint ingenio, ut statim atqve in re paullo lautiori cœperunt esse, filios suos ad opificium aliquod admovere gaudeant, fortunatos præ se judicantes, qui in urbibus habitent; ac adeo nobilium aut quæstorum divexationibus non sint obnoxii. Verum *illustris Dominus Kulpisius*, in laudatis *commentationibus suis in Monzambanum part. 2. p. 256.* recte animadvertit, paucitatem illam publicæ rei non obesse; cum neque ad opificia filios suos admoveant, aut in urbes sese recipiant; nisi cæteri paternis agris colendis sufficiant: plures vero, quam ali possint.

ruri esse, haut expedire: Nam si unum tantum rustico prædium sit, plures eo filii ali nequeant. Qui per bellum tricennale, aut in nupero bello exitiali Gallico agri devastati sunt, reducta pace, colonos si fertiles sunt, facile invenerunt, aut adhuc invenient. Postquam Germania nostra, veterem illam ac tristem horridamque speciem, quam *C. Tacitus de Mor. Germ. c. 2. & Seneca libr. de Provident. c. 4.* describere, diu jam exiit.

§. 22.

Si nunc *regionum* Germaniæ amplitudinem, ac fertilitatem contemplamur, utraqve satis magna est. Quanta enim ejus sit amplitudo, facile intelliget, qui ex Cassubia Monpelgardum, aut ex Holfatia extrema in fines Carniolæ, aut Leodio in ultimas oras Silesiæ iter fecerit. In his latissimis terrarum spatiis, si ditionum, principatum, urbium, ac pagorum numerum ineas, omnia Europæ regna istud, ut puto, superabit. Perlustret quis tantum decem Imperii circulos, cum regno Bohemiæ & Silesiæ ducatus ad illud pertinentes, videbit, quam numerosus ac validus in his populus habitet atque alatur, confer *Limnei Jur. Publ. lib. 1. c. 7.* Robur provinciarum augent civitates Imperiales amplissimæ, quæ commerciis florent. Confer *Limneus Jur. Publ. lib. 7.*

§. 23.

Fertilitas etiam *Soli* Germanici paucis regionibus in Europa cedit. Nam si Alpium Jura & pauca forte in Westphalia & Saxonia inferiori, loca excipias, nulla erit regio, quæ nihil ad vitæ humanæ cultum producat. Imo tantus rerum in multis proventus est necessariorum, ut abundet, & exteris de illis communicet. Notum enim est, ex Germania exportari ferrum, & varia ex illis confecta instrumenta, plumbum, argentum vivum, lanam, pannos lanei filo crassiore, varias telas laneas atque lineas, frumentum, vinum, cerevisiam, vinum adustum, equos, oves & alia, quæ Germani exteris vendunt plura. Accedunt metallifodinæ uberes Ottonum Imperatorum tempore detectæ. Nam magnâ copiâ quam plurimis in locis effoditur argentum, cuprum, stannum, plumbum, ferrum, argentum vivum & vilioris pretii mineralia. Auri quidem & olim mineras fuisse, memoratur; sed hodiè, quod sciamus, raræ illæ sunt: nisi quod flumina quædam (ut Rhenus) aurife-

ras

ras arenulas præbent. Gemmas, quas Germania & imprimis Misnia
nostra varias gignunt, sequioris pretii habentur. Caterum de me-
tallorum copia, G. Agricola & Albinus in *Chronico Metallico*, in *der*
Meißnischen Berg-Chronic, consuli merentur.

§. 24.
Alia quippe Germaniæ facies est, quam Trajani ævo, ubi C. Ta-
citus de *Mor. Germ. c. 2.* quærit; *Quis Germaniam peteret informem*
terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuque? & paulo inferius: Ter-
ra in universum aut sylvis horrida, aut paludibus fœda. Scilicet de-
erat cultura & industria hominum, quæ subsequenti seculis suc-
cessit adeo, ut aliam eamque longe amœniorem faciem induerit. Id,
quod Aeneas Sylvius, (postea Pius Pontifex R.) ad Martinum Mayerum,
de antiquo Germaniæ statu scribens, etiam observavit. *Parum qui-*
dem ait; ea tempestate, à feritate brutorum, majorum tuorum vita di-
stabat. Erant enim plerumque pastores, sylvarum incolæ ac nemorum,
nec munitæ his urbes: nec oppida muro cinctæ: non arces altis innixæ
montibus: non templa sætis structa lapidibus videbantur: Aberant
hortorum ac villarum delicia: nulla viridaria colebantur &c. Quæ
omnia, postea cultura hominum accedente, magno numero in Ger-
mania videri cœperunt. Confer Berneggeri *Quest. V. in Tacit. l. c.* &
Lansii *Consult. Orat. pro Germania p. 63. seqq.*

§. 25.
Caterum quod originem urbium, earum copiam, commoda,
incrementa, statum & fata prospera atque aduersa attinet, Conringius
in *Dissertat. de Urbibus Germanicis* erudite egit. Olim quidem atte-
stante C. Tacit. de *M. G. cap. 16.* nullas Germanorum populis urbes
habitas fuisse constat. Et Conringio id certissimum videtur, atate
Caroli Magni, in omni Saxoniam, i. e. Westphalia, Angria, omni-
que illo tractu, qui est inter Visurgim, Albim, Melioboëum montem
& Salam annem; imò nec trans Albim ad Eidoram usque, ubi nunc
florebat Holsteinia ducatus, nullam omnino urbem inventam esse.
Quod etiam de Saxoniam, quæ nunc superior vocatur, verum est.
Licet trans Danubium & Rhenum urbes jam extructæ floruerint. At
Saxonicorum Cæsarium florente Imperio, hoc est, Seculo nono, Hen-
rici Aucupis Imperatoris auspicio, plures in Germania urbes extrui
cœperunt. Quæ deinde aucta Germaniam munitiorem & cultiorem
multo

multo effecerunt. vid. *Conring. Dissert. cit. §. 31. 39. 81. 82. seqq.* & *Berneggerum in Corn. Tacit. Quæst. 82.*

§. 26.

De numero urbium & usu multarum hîc non disquiram. Ex illis, inter claustra Imperii Germanici *G. Hornius Orb. Polit. cap. 1. n. xiv.* & quidem versus Turciam (potius Turcas in Hungaria) *Viennam* Austriæ; versus Poloniam, *Vratislaviam*; versus Daniam, *Hamburgum*, & *Lubecam*; versus Belgium, *Coloniam Agrippinam*; versus Galliam, *Argentoratum*, retulit. Verùm ut Augustissimus Imperator noster **LEOPOLDUS** per multas victorias hæctenus de Turcis in Hungaria partas, finibus regni ad Sayum usque prolatis, Budaque capta, Germaniam ea parte satis tutam a barbaris reddidit; ita dolendum est, Argentoratum, Germaniæ adversus Gallos propugnaculum firmissimum, anno 1682. à Gallis deditione captum, nuperima pace Rûswicensi, illis in perpetuum fuisse cessum; ac adeo januam illis in Germaniam apertam. Cujus jacturam, an Brisacum & Philippiburgum resarcire queant, nostrum judicare, non est. Cæterum, quas *Hornius l. c.* & ex eo *Oldenburgerus in suo Thesauro Rerump. part. IV. de German. n. xxxii.* urbes, mediterranea Germaniæ præsidia vocat, atque recenset, rectius ex **Choro- & Geographia** circulorum Imperii ac provinciarum, quæ metropoles & propugnacula sua habent, noscuntur. Nos illa hîc describere, aut quantum momenti tutandæ Germaniæ in illis situm sit, exponere supersedemus.

§. 27.

Pecuniæ, cum ad parandam, tum ad augendam potentiam, maximam inesse vim, supra insinuavimus. Ejus vero inopia Germaniam nostram haut laborare, multa sunt argumenta, quibus persuademur. Modos tantum, unde illa paratur aut colligitur, vulgares hîc indicabimus. Primum, præter variorum metallorum & mineralium copiam, sunt argentifodinæ in superiori & inferiori Saxonia celeberrimæ. Fidem fere humanam superant, quæ de argenti vi maxima, ex solis venis Schneebergensibus in Misnia, ante hos ducentos circiter annos collecta, fide digni memorant historici. Nam *Pencerus, Albinus in Chron. suo Metallico tit. IV.* referunt, ab anno 1471. ad annum 1550. ex illis venis metallicis, ad eos, qui istas coluerunt, (*die Gewercken*) rediisse fere plus 123355. tonnis auri: & loco decima-

oilum

cimarum solutas Principibus 120559. auri tonnas: Tantundem etiam solutum Principibus de signatione argenti, von Schlegel: Summam omnium facere 164473. auri tonnas. *Calvisius in opere suo Chronol. ad annum 1471.* refert de iisdem, quod triginta annorum spatio, usque ad annum 1501. decimarum loco, Electori & domui Saxonicae persolverint ultra quinquaginta milliones. Unde *D. Georgius Agricola* scribit: *Schneebergi e fodina, quae Georgius appellatur, tanta argenti puri copia, quanta ex alia nulla in Germania unquam effossa fuit.* Ubi licet errorem calculi ab Albino admissum fuisse, *M. Christianus Melzerus*, in descriptione Germanica urbis Schneebergensis, animadvertat; pag. tamen 352. ostendit ex suo calculo, intra 79. annos, 100511. auri tonnas, ac 64838. florenos, hoc est, unciales fuisse collectos. Quis calculum reddituum in aliis urbium metallicarum in Germania iniit, quos venae argentiferae, ab Ottonis I. imperio, cuius aetate, venas metallorum primum apertas esse, *Otto Frisingensis l. VI. c. 24.* & *Ditmarus Merseburgensis l. II. p. 18. testantur*, fuderunt. Equidem ante seculum hoc, venae metallicae cultores fodinarum ita ditare desière; non tamen omnes exhaustas esse, metallurgiae periti passim adhuc attestantur.

§. 28.

Deinde sunt *opes nativae* aliae in Germania multae, quae pecuniam institutis commerciis augere possunt. Nam praeter cuprum, stannum, plumbum, ferrum aliaque mineralia varii generis multa, campi & prata pabulo, agri frugibus, vineta vinis, flumina piscibus, sylvae lignis abundant. Unde frumenti & fructuum varii generis, lignorum, pecorum & armentorum tanta copia; ut exteris de iis communicare, opesque eorum ex parte, per industriam opificum & mercatorum ad se trahere queat. Nam horum operam multa parari & exportari posse; ut tamen indigenarum usibus supersint necessaria vitae, in vulgus notum est.

§. 29.

Tertio vim pecuniae, ad sumtus civitatis belli pacisque tempore tolerandos, augent *tributa*, quae sub variis exactionum nominibus,

C

fatis

fatis nota sunt. Olim quidem, cum luxus in Germania nondum invaluisse, pauciora tributorum genera fuisse legimus; cum adhuc, quod *Libanius Orat. III.* ait: Ταμεία ἀσφαλῆ αἰ τῶν κερτημένων οἰκίαι, (*erarium tutissimum sunt domus possessorum,*) crederetur; at luxuria augescente, aucta fuerunt tributorum nomina veteribus Germanis ignota. Quamquam si Philosophum veterem audire libuisset, is etiam, modos pecuniæ colligendæ, ostendere valuisset: v. *Aristotelem Oeconomicor. l. II. c. 1.* Sed Germani veteres hunc nondum legerant. Nobis vero hic demonstrasse, satis est, Germaniam, si rebus & beneficiis a Deo largiter concessis recte uti velit, pecuniæ inopiam non premere, etsi multum per luxum prodigatur & ad externos transferatur.

§. 30.

Scrupulus tamen hic Germanis moveri solet, quod in aliis Europæ regnis, ut Gallia & Anglia major pecuniæ copia adparere videatur, quam in Germania: ubi affatim querelarum de penuria pecuniæ audias. Cujus causæ quidam variæ allegari solent; partim quod in ea triginta per annos Mars grassatus sit, ita; ut illam non intestino tantum militi, sed etiam exteris, Hispanis, Svecis & Gallicis in prædam patuerit (de nupera enim belli Turcici & Gallici calamitate, omnibus nota, hic nihil dicam) partim quod luxuria in aulis, in urbibus maxime invaluerit, quæ parsimonia veterum, legibusque sumptuariis neglectis, impune toleratur; partim quod fodinæ argentiferæ multis in locis velut exaruerint, nec tam largi ut olim inde redditus obveniant amplius. Ob has, inquam, causas omnino pecuniæ thesauros multis in locis exhaustos fuisse, nemo mirabitur. At vero ista reipublicæ mala etiam alias civitates, & regna in Europa sensisse constat. Licet ob commodiorem regionis situm, & civium industriam vel solertiam, illa facilius, quam in Germania resarciri queant.

§. 31.

Opulentiam ergo Germaniæ ex causis jam adductis imminutam fuisse, ut facile concesserim; ita in universum sic exhaustam esse,

esse, ut hac in parte aliis regnis Europæ longe inferior sit, nemo facile probaverit; cum pecunia & opes in tam vasto Imperio dispersæ, tenuiores appareant, quam in aliis regnis, ubi in unum ærarium inferuntur. Nam si quis publicos tantum redditus, queis tot Germaniæ Principes, Proceres ac Civitates quædam Imperiales adhuc gaudent ac fruuntur, computet; non puto, longe minorem summam, quam Gallia ex publicis redditibus colligit, prodituram esse. Quamquam eorum numerum inire, cum id inter arcana aularum haberi soleat, difficile fuerit. Notum vero est in Gallia vim opum, ad unum, hoc est, Regem confluere; in Germania autem ad plures qui distinctas quasi civitates constituere videntur. Ne dicam, Regem illum, per nova exactionum nomina inventa, populum suum penitus exhaurire; dum in Germania multi adhuc cives, præsertim nobiles, & Civitatum Imperialium incolæ mitius habeantur; nec ita ære, ut in Gallia, emungantur. Fiscus & ærarii cura ibi Regis est, ut in domo patrisfamilias patrimonii attenti. Putat enim rationes non aliter constare, quam si uni reddantur. Inde ipse in quæstores & fœneratores inquirat, eosque thesauris incubantes ex præda clandestina evolvit, suumque fiscum & ærarium auxit. Non enim manibus colligentium multum adhærescere patitur; ne ærario accidat, quod urnis & situlis, quæ ad extinguendum incendium plenæ hauriuntur: Sed longa per manus traditione & concussione vix medium contineant, dum eo perveniant, ubi aqua igni est infundenda. Id vero in Germania, ob diversam reipubl. indolem, fieri non posse, quivis facile intelligit.

§. 32.

Cæterum vero *Potentiam maritimam* Germaniæ deesse, situs ejus ostendit. Nam licet illa versus Septentrionem, mari Balthico alluatur; hæc tamen pars navali militiæ, quæ omne genus navium, bellicas onerarias cum armamentis navalibus, stationes & portus idoneis locis, cum naucleris peritis poscit, instituendæ non sufficere, compertum est. Majorem Chersonesi Cimbricæ partem, quæ etiam mari cingitur, sibi Dania vindicat. Ac adeo non est, ut inde potentiæ navalis adparatus petatur. Hanseaticarum urbium

C:

fœdus

foedus, quod ad hanc conferre aliquid videbatur, hoc seculo fere ex-
spiravit. Vastissimum quidem consilium, hoc nostro aëvo, de po-
tentia navali instruenda, Cæsar Ferdinandus II. Hispanorum nixus
auxilio agitavit; cum maris Balthici imperium frenando septentrio-
ni, simul subjugandis Batavis; quorum commercia navigatione il-
lius maris fundantur, tentaret. Verum ut ista molimina, variis
viis artibusque suscepta, successu caruerint, *Pufendorfius Rer. Sve-
sic. l. 1. §. 52.* recenset. Confer *G. Horni Orb. Polit. de Imp. Rom.
Germ. n. XIII.* Si Electori Brandenburgico extincta ducum Pomeraniæ
stirpe, tota Pomerania cessisset; forte ad rem navalem paran-
dam, ipsi major occasio suppetiisset, quam nunc anteriori Pome-
rania, ex pacis studio, Svecis relicta. De Fridrici Wilhelmi Magni
Electoris Brandenburgici consilio instaurandi navigationes & merci-
monia Germaniæ profutura, vid. *Pufendorfii Rer. Brandenburg. Lib.
XVIII. §. 32.*

§. 33.

Externa interim potentia *presidia*, si rebus suis uti recte Ger-
mania velit aut possit, opus, ut circumspiceret, non videtur habe-
re. Enimvero tempora incidere, ubi Germania in partes scissa,
exterorum societatem ambire necessum habuit. De foederibus Ger-
maniæ, cum exteris civitatibus pro tutando Imperio initis, recen-
tior bellorum Germaniæ historia etiam restatur: de quorum fructu
tamen in Germaniam redundante, hic dicere non vacat. Id vero
pro statu Germaniæ, in quem post Reformationem religionis Pon-
tificiæ, devoluta est, si Ordines quidam (ut in pace Osnabrugensi
artic. VIII. permissum) cum exteris foedera, pro tutanda libertate sua
feriant, cum *Mozambano c. VII. §. 9.* illi perniciosum haut dixerim.
Ex historia enim hujus, & superioris seculi constat; quod, cum Ca-
rolus V. & Ferdinandus II. Imperatores, jugum Germaniæ imponere,
oppressis Protestantium Ordinibus, tentassent; Ordines Protestan-
tes id à cervicibus suis, necessitate compulsi, exterorum Principum
seu Regum auxilio propulsarint. Quamquam magis e re Germaniæ
fuisset, si istis foederatis auxiliatoribus, qui e rebus Germaniæ tur-
bidis, suum simul quæsiwere commodum, nunquam indignisset.

Quis

Qvis tamen interim certus est, annon similia tempora incidere possint; ubi proceres pro libertate sua defendenda, exterorum ope opus habituri sint. Quapropter illam foederum libertatem, ex instrumento pacis allegatam, si non ad potentiam, omnino ad incolumitatem Ordinum facere arbitramur.

§. 34.

Visis ergo *distinctim* partibus & praesidiis potentiae Germanicae, de iisdem *conjunctim* ac in validissimum robur collectis atque unitis, si pronuncianum est, asserere haut dubitarim; potentiam Germaniae in se spectatam, singula Europae regna praeponderare. Sive enim *virorum* omnis generis, maximè bellicosorum copiam, sive *virium* requisitarum robur consideramus; non est, cur unius vicini regni potentiam metuat majorem. *Monzambanus, seu Pufendorfus de Stat. Imp. Germ. c. VII. §. 1.* non vanitatis a peritis Germaniae viris argui posse, existimat, qui dixerit; facile exercitum ducentorum millium posse conflari; si modo ex singulis urbibus, quini, & ex singulis pagis, singuli aut bini milites scribantur. Idem ante ipsum affirmaverat *Lansius orat. pro Germania p. 209.* *Licet ex Germania, ait, vel ducenta militum millia (uti nullam magni momenti bellum, in Europa sine Germanis, jam a multis seculis confectum est, robore exercituum plerumque in Germanis militibus, firmitateque earum legionum consistente) foras emittantur; domi nihilominus illa viribus suis vuta est, nec publice hominum infrequentia sentitur.* Cui assertioni fidem facere videtur nuperum bellum Turcico-Gallicum, quo tantum militum Germanorum numerum domi & diversis in castris fuisse, rerum civilium periti affirmant. Urbium quidem, oppidorum & pagorum numerum, in decem circulis, forte nemo adhuc iniit. Si tamen eorum amplitudinem juxta cum regno Bohemiae, quod cum Silesia ad imperium Germanicum pertinet, quis ex indicibus circulorum notis, animo expendat, populosissimam gentem nostram, tanto numero militum sufficere deprehendet. Ipsa praeterea natio nostra, ab omni memoria, bello insignis, & in militiam avida, cui ut nimius fervor abest, ita plurimum constantiae suppetit, animiqve egregiae disciplinae capaces. Unde *C. Tacitus* olim jam nostram gentem eo nomine laudavit:

davit: nullos mortalium armis aut fide, ante Germanos esse. *Aeneas Sylvius Orat. de Constantinopol. clade & bello, contra Turcas congregando*, quæ inter *Epistolas* ejus est CXXXI. plura in laudem hanc Germanorum congeffit: *Mihi seu nova*, ait, *consideranti, seu vetera mente repetenti, inter omnes nationes, quas bello idoneas judicant, nulla expeditior, nulla fortior, nulla peritior, nulla audentior, quam vestra, ô Germani, videtur. Nulla natio tam grandis sub cælo est, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest vobis Dominus Deus noster. Et ubi, obsecro, tot clarissimi Principes, tot generosi proceres, tot fortissimi equites, tot potentes civitates, tot divitiæ, tot auri, tot argenti, tot ferri munera? ubi tanta populi multitudo, tanta juventus, tantum animi, tantum roboris? Vos igitur magni, vos bellicosi, vos potentissimi, vos fortunatissimi, ac DEO accepti Germani estis, &c.* confer *Philippi Andreæ Oldenburgeri Thesaur. Rerumpubl. part. IV. p. 34. & 55.*

§. 35.

Sed hæc de Potentia Germaniæ in se spectata dixisse sufficiant. Enimvero, ut, recte *Monzambano l. c. §. 4.* animadvertente, nemo robustus aut debilis possit censerî; nisi cum aliis comparetur, qui itidem viribus suis polleat; ita laudatus autor, Germaniæ potentiam cum vicinorum, quos Germania ex quatuor orbis Europæi plagis habet, viribus comparat, tandemque pro Germania, hæc in parte pronunciat. Simili modo, nempe in respectu ad alios, tum singulos, tum plures conjunctos populos, Germaniam, *Dux Robaneus in Trutina Statuum Europæ* consideravit. Quibus illustrandis quodammodo inserviunt *Th. Lansii consultationes de Principatu inter Provincias Europæ*. Quamquam *Monzambanus* hæc omnia brevius & majori cum judicio civili exposuerit, qui evolvi hæc de re meretur.

§. 36.

Circa florentissimum hodie Galliæ regnum solum scrupulus movetur, quod Germaniam potentia sua præponderare, nuperi belli etiam documento quibusdam visum est; cum ultra duo centena hominum

num

num millia in armis Rex habuerit. Et, si fidem non superat, Cardinalis Richelius, imperante Ludovico XIII. moderni Regis parente, rationem inuit proposuitque, quia Francia ex domestico milite, siquidem omnes, quotquot arma ferre possent, conscriberentur, peditum sexies centena, equitum centum & quinquaginta millia conficere possit. Præterea ex relatione *Pufendorfi introduct. ad Hist. Præcip. Regn. in Europ. c. V. §. 25.* Rex quotannis miliones circiter CL. florenorum Francicorum, hoc tempore percipere perhibetur: quum superiori seculo, Franciæ redditus millionum novem aut decem; Heinrico autem IV. regnante, XVI. & anno M DC XXXIX. numerum LXXVII. non excederent. Verum, præterquam quod numerus militum a Richelio designatus probari nequeat, *Monzambanus de Stat. Imper. Germ. c. 7. §. 5.* reponit, nec virorum nec opum in Germania esse minorem vim, quam in Gallia; nec Germanum militem Gallo concedere multis speciminibus ostensum fuisse. Circa vim tamen pecuniæ fatetur, non ita liquido pronunciari posse; an major ejus copia in Gallia, an in Germania sit. Nam quantum auri paucis annis modernus Galliæ Rex congesserit, præcipue dum veteres illas spongas expressit, & quod in annuis redditibus habet, non sine admiratione legi; considerari tamen simul debere, monet, plebem in Gallia longe asperius tributis & vectigalibus exhauriri, quam in Germania; & ibi omnes opes regni in unum velut alveum confluisse; Germaniæ autem redditus inter tot Principes divisos, quanti sint, ita liquido apparere non posse. Præcipuum adeo, quod potentia Germaniæ a Gallia opponi potest, forma regni hujus monarchica & quidem absoluta est: quia Rex, quovis loco & tempore, pro nutu, sine ordinum ac populi consensu disponere, decernere atque exsequi solus omnia potest. In Germania vero propter formam regiminis irregularem, nihil sine Ordinum inter se etiam valde dissentientium consensu, de usu potentia deliberari aut decerni potest. Hinc mira partium studia, præsertim in bello, ubi sæpius consilia optima & occasiones agendi, istis turbari aut interverti, notissimum est. In negotiorum autem civilium tractatione, maxime belli cura, semper illud *Homeri Iliad. B.* verum fuit:

ἐν ἀγαθὸν πολυκοιρανίῃ εἰς κοίρανον ἕνα.

Causa, ergo cur potentia Imperii Germanici vicinis Europæ regnis, maxime vero Gallia minus sit formidabilis, *varia* reddi possunt. Præcipuas *Monzambanus de Sat. J. G. c. VII. §. 7. seqq.* annotavit. *Prima* & primaria juxta ipsum, est inconcinna maleque digesta reipubl. compages, quam paragrapho antecedente jam attigimus. Nam etsi secundum leges fundamentales, quas vocant, in hoc varissimum corpore, unio certa constituta sit; tamen illa ob laxitatem & solidiorem membrorum combinationem inter se & cum capite, ad expediendas vires suas, minus habilem esse, ni fallor, tot annorum experientia docuit. *Secundo* singulis Imperii Ordinibus non pauca invicem æmulationes & controversiæ intercedunt. Imo nescio, an ulla domus illustris Principum sit, quæ non variis simulatibus collidatur; has autem dissensiones totius corporis vires non parum divellere, quis dubitet? *Tertio* religionis diversitas, quantum animos Ordinum disjunxerit, & vires simul eorum attriverit, historia belli Smalcaldici, ævo superiori, & hoc nostro, tricennalis probant. Huc *quarto* pertinet Episcoporum, qui simul Principes sunt, diversus, a secularium Principum scopo respectus. Quia ipsi non tantum Imperatori & Imperio, sed Pontifici & R. Curia obstricti sunt. Hujus vero scopum a salute Imperii communi maxime diversum esse, nemo rerum peritus hodie ignorat. Unde, dum sæpius accidit, ut duorum in una republica summorum velut dominorum consilia & respectus collidantur, non potest non simul facultas & usus potentia turbari aut impediri. Quod *H. Conringius in exercit. sept. de Republ. Imp. Germanic. de Constitut. Episcoporum Germ. §. LXXXVII. seqq.* erudite demonstravit. Nec *Maimburgius*, recentior scriptor Gallicus, in *Histoire de la Decadence de l'Empire*, id dissimulare potuit, quando causam imminutæ potentia Imperii Germanici non obscure in R. Pontificis tyrannidem confert. Verum enim illud *Seneca* manet: *Non capit regnum duos; vel ut Lucanus l. 1. v. 92. habet: Nulla fides regni sociis, omnisque potestas impatiens consortis erit.* Accedit *quinto* luxus Germanorum, qui hætenus maxime succrevit, & ob quem alendum, (ut & discursationes juventutis Germanicæ ad exteros, præcipue Gallos,) non parum argenti extra natale solum translatum

latum

latum fuit. Nescio, an etiam *septimo* inter potentiae impedimenta referenda sit res iudicaria, inter Ordines valde impedita, quam diuturnitas processuum in Camera Imperiali auget. v. *Monzamban. cap. VII. cit. §. 9.* Morbus certe est reipublicae, sed non solius Germaniae; verum etiam Galliae, de quo praeter Bodinum, *Rolandus Maresius*, doctissimus Gallus, *Epistol. Philolog. libr. II. Epist. XVIII. ad Claudium Handium in Praetorio Parisiensi consiliarium* conqueritur. Quam autem numerus inde tabularum reipublicae gravis, noxiusque fiat, *Barclajus l. III. Arg. p. 263. seq.* ostendit. Rectius forte *octavo* inter potentiae exferendae impedimenta, refertur defectus communis aëarii, communisque ac perpetui militis, qui repellendis exterorum insultibus statim praesto sit. Cujus rei cura ideo apud Romanos olim sollicita fuit, conf. *Lipsii libr. I. de Magnit. Rom. c. 4. §. 5.* Defectum ejus in Germania emendare, postquam damna inde in Imperium redundantia, haecenus illa saepe sensit, Ordines Imperii incluti jam etiam consultant. Consilium sane hoc, quod *Barclajus Argenid. l. IV. p. 293. seqq.* Galliae suae suggestit, omnes utile quoque & profuturum Germaniae judicant; sed, ut in exitum commode deduci queat, arduum forte magis erit. Malecula tamen consilia, & illam difficultatem superare poterunt. De *aëario communi*, quo ad militem alendum perpetuum maxime opus, cura non minus necessaria est. Augustus olim tranquillitati publicae prospecturus, militem perpetuo in armis non modo in provinciis & adversus hostem, sed ad urbem quoque & vicinis circum oppidis habuit, teste *Svetonio, Octav. c. 49.* conf. *Lips. in Tacit. l. IV. Ann. c. 2.* Et cum ex parentis quoque sermonibus didicisset, duo esse, quibus & *quereretur*, & *augeretur*, & *conservaretur potentia*, *MILITES* nimirum & *PECUNIAM*; cum & suppeditatione rerum necessariarum exercitus contineri, & eam ipsam armis parari necesse sit; alterutro autem deficiente, alterum simul concidat; idcirco de utroque vel maxime sollicitus & ipse semper fuit. v. *Dion. l. XLII. XLIII. §. LV.* confer *Lips. de Magnitud. Rom. lib. II. c. 4. Textor de Rat. Stat. Imper. c. XVI. & Schilter. Instit. J. P. t. I. tit. I. §. 14.* Plura in hanc rem, pro animi sui perspicacia *Pufendorfius in Introduct. Histor. all. c. IX. §. 21.* disserit. Nobis haec incommoda, aut mala patriae attigisse tantum, sufficit. Qvi ad reipublicae

D

clavum

elavum sedent, plura observaverint, & ut emendari queant, ex amore communis patriæ, in medium rectius consulent. Facilius enim est morbos detegere, quam illis curandis medicinam adferre idoneam. Ubi tamen & prudentissimi poëtæ *Lucani* l. II. v. 143. monitum attendendum venit; ne scilicet *excedat medicina modum*, ipsumque corpus reipublicæ convellat. Quod personatus scriptor, *Hippolithus a Lapide*, de *Ratione Status in Imperio nostro Romano-Germanico*, intendit: quem *Boeclerus* in *Animadversionibus suis in ejus librum*, & *Monzambanus* de *Stat. Imp. German. c. 8.* hac de causa, merito castigarunt.

§. 38.

Cicero quidem supra §. 2. *potentiam ad alterius bona obtinenda facultatem* simul quoque dixerat: Verum is ex Romana reipublicæ status regulis philosophatus est, juxta quas, jus obtinendi alterius bona plerumque in armis erat, nec inter eorum strepitus jura semper audiri potuere. Unde apud *Sallustium*, *Mithridates*, in *Fragmen. ex histor. l. I. c. 22.* bellorum Romanorum causas his verbis perstringit: *Romani arma in omnes habent, in eos acerrime, quibus victis spolia maxima sunt.* Item: *Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, una & vetus bellandi causa est, cupido proferendi imperii & divitiarum.* *Galgacus* apud *C. Tacitum* in *Agricol. c. 30.* Romanis ideo etiam injustitiam armorum exprobrat; *raptores orbis, ait, postquam cuncta vastantibus defuere terra, & mare perscrutantur. Si locuples est hostis, avari; si pauper, ambitiosi; quos non oriens, non occidens satiaverit.* *Carneadis* illud, quod refert *Lactantius* l. V. *Institut. s. 16.* etiam notum est: *Si justitia a Romanis requiratur, ad causas ipsis redeundum, & in necessitate, ac miseris jacendum fuisse.* Quod tamen promiscue de omnibus Romanorum bellorum causis dici nequit. Certe *Rhodii* apud *Livium* l. XLV. armis Romanorum justitiam non denegant. Nempe titulos aut jura alia imperio suo in imensum propemodum provento, Romani ipsi non prætexuere, quam quibus vulgo alias acquiritur aliquid aut possidetur: Jus scilicet belli, fœdus, donationem, derelicti recuperationem, ac id genus alia, quæ ex historia Romana satis nota sunt. *Germania* autem nostra

licet justos titulos, quos *Couringius* in *libro de Finibus Imper.* passim indicat, recuperandi amissa habeat; haec tamen ejusdem ratio status non tulit, ut de eo magnopere laborarit; cum illud Poëtae ante oculos forte ipsi versaretur:

Non minor est virtus, quam quæerere, parta tueri.

Et utinam parta tueri haec licuisset, Galliae accessiones intra seculum & dimidium, tantæ non essent factæ. Sed Germani hac in parte laudem veterem *Chaucorum*, a *Tacito* ipsis de *M. G. cap. 35.* tributam mereri maluerunt: qui magnitudinem suam justitia tuebantur, sine cupiditate, sine impotentia, nulla provocantes bella. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum *Tacitus* laudat; quod, ut superiores agerent, non per injurias assecuti sint. Utinam vero similis vicinis Francis animus esset, Germaniæ nostræ haec licuisset esse quietiori & feliciori.

§. 39.

De usu nunc potentia Germanica, dicendi campus amplissimus aperiretur, quem si ingredi vellem, multa, cum quæ ipsas vires ejus dispersas attinent, tum quæ vitia imperantium inter se dissidentium illas convellunt, usumque impediunt, attingenda forent. Verum operire hæc, quam ad nominis Germanici dedecus sermone refricare præstat. Viris potius prudentibus & in usu atque tractatione rerum civilium versatis hæc intuenda, & si possunt, emendanda relinqvam.

§. 40.

DEum vero in fine hujus dissertationis rogamus, ut, qui Germaniam nostram, hoc seculo, periculis fatalibus eripuit ac vastissima hostium consilia adversus patriam nostram dissipavit, nuperque etiam bello gravissimo superato, pace nova quodammodo recreavit, in posterum quoque eam tutam atque tranquillam præstet, nec membra ejus ac Ordines per discordiam, in potentia civilis studioque, a pietatis & honestatis regulis aberrare, aut loco prudentia, audacis & perplexæ calliditatis mysteria confectari sinat.

§. D. G.

QX In 1274

COROLLARIA.

1.
Potentia, licet sæpius leges in potestatem suam redigat; non tamen juris fundamentum præbet;

2.
Turca magis habet, cur Germanici Imperii, quam Hispanici, vires metuat.

3.
Germania, Polonos timendi, causam non habet.

4.
Gallicis & Hispanicis rebus, omnis Europæ studia quodammodo illigantur.

5.
Potentia plerumque superbiam progignit, quæ Deum hominesque potentibus adversos reddit.

6.
In magno corpore, semper est aliquid, quod non satis valeat.

7.
Potentia instar molis est, quæ nisi in solido cubet, aut premit, aut ruit.

8.
Nihil tuti firmique in tyrannicis consiliis reponendum.

9.
Gallico fœdericum Turcis, fundamentum præbuit discordia Galli cum Hispano.

10.
Magnum Moscoviæ Ducem metuendi causas, aula Ottomannica habet.



1017

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

S ac DOMINIS;

rofapia, dignitate ac
erum amplitudine

atque Excellentissimis;

DOMINO
TO GEORGIO
DO de WERTHER,
Dynastæ Comitatus
Beichlingensis, nec non
Frondorff, Neuheiligen,
Leubingen & Kroppen,
S. R. Imperii Cubiculario
hæreditario, S. R. Majest. Po-
Saxon. lon, & Seren. El. Sax. Comiti,
Supre- ac in Comitibus Imperii h. t.
io: Legato Excellentissimo

THECA
VIANA

UNIVERSITÄTS-
HALLE
(SAALE)
BIBLIOTHEK

